

INDEX DISPUTATIONUM

Theologicarum

sub Praesidio Leonb. Hutleri.

De Confessione Augustana

2 De unitate essentiae divi-
nae et personarum Trinitatis

3 De personarum in unadi-
vina essentia differentis

notis characteristicis ordine
et de generatione ac divi-
nitate filii Dei aeterna

4 De divinitate Spiritus Sancti
ejusque aeterna processione

a Patre et filio, et de Sa-
cramentis tam veteribus quam
recentioribus etc.

5 De peccato originali per
difficiliam scripturam polysemam
opposita.

6 De blasphemia in Spiritum
sanctum sive peccatum ad
mortem.

7 De unione hypostatica di-
varum naturarum in Christo

8 De communicatione et
naturarum et earumde-
modi in Christo

9 De officio Christi sacerdo-
tali et statu humilitatis

10 De officio Christi re-
gio, et statu exalta-
tionis.

11 De justificatione ho-
minis peccatoris coram
Deo.

12 De efficacia ministerii
verbi et sacramentorum

Deq. Ministeriorum Ecclē-
siae vocatione.

13 De bonis operibus

14 De Ecclesia a. 7. 8. c. 11.

15 De Sacramento ingere-
re. 13 a. c. 4.

16 De Baptismo, c. 4.

17 De Coena Domini. 10

18 De Penitentia et
Confessione. 11. 12

19 De Traditionibus hu-
manis in Ecclesia

20 De rebus civilibus
et potestate Ecclesi-
astica. 16 c. 17

21 De extremo pudore

22 De libero arbitrio

23 De causa peccati

24 De cultu sanctorum

25 Ex Jerem. Ecce agnus
illi Dei qui tollit peccata
mundi

26 De verbo Dei
scripto seu scriptura
in sacra.

DISPUTATIO XII.

AN RENATI

ET ELECTI POS-
SINT EXCIDERE GRA-

TIA DEI: ET NUM SEMEL
lapis ad eandem pateat
reditus:

ET

DE POENITENTIA.

Q V A M

Spiritus sancti favente numine

SUB PRÆSIDIO

LEONHARTI HVTTERI,

SS. THEOLOGIAE

DOCTORIS

Respondendo tæri conabitur

M. IOHANNES, DOCT. IOHAN-

NIS F. PAPPVS ARGENS
toratenlis.

*Ad diem 18. Septemb. horis locog.
solitis.*

I E N Æ

TYPIS TOBIÆ STEINMANNI.

ANNO MDLXCVI.





REVERENDO ET CLARISSIMO VIRO,

D. IOHANNI PAPP O:
SS. THEOLOGIAE DOCTORI
& in inclyta Argentinensium Academia professori
primario: Ecclesiae Antistiti &c. patri suo
reverenter colendo,

ET

Nobilissimis Amplissimisq; viris

D. IOSEPHO PAPP O
Reip. Lindaviensis Praetori

D. DANIELI PAPP O,
à Traßberg fratribus.

*Dominis suis Patruis plurimum
observandis*


Ἡαc Ἱσολογήματα

In

Observantiae ac gratitudinis
Symbolum,
Studiorum testimonium

Dicat & offerat

M. Iohannes Pappus
Argentinensis.



DISPUTATIO.

An renati & electi possint excidere
gratia Dei,

ET

De Pœnitentia

THESIS I.



UM DVO SINT POTIS-
simum, qua hominum saluti parat Diabo-
lus, precipitia longè periculosissima; Se-
curitas & desperatio: Quorum illud,
Renatos & electos gratia semel accepta
excidere posse, negandum esse suadet: hoc
verò, semel lapsis post regenerationem, reditum ad Ecclesi-
am & gratiam Dei, postliminiò nullum patere, suggerit:
hinc desperationis, illinc securitatis campo aperto latissi-
mo: opere pretium fuerit, utriusq; fanatica opinionis fer-
mentum, ex purissimis Israël fontibus expurgare diligen-
tius.

Quæstio I.

2. Initiò ergò de Renatis & Electis quæri solet: An-
nè Fidem amittere, Spiritum Sanctum excutere, & à
Christo excidere possint? & si possunt, utrum finaliter
utriq; excidere, ac proinde æternum perire queant?

3. Quæstionis hujus duo, & quidem diversa sunt sub-
jecta: Vnum Renatorum: Electorum alterum: de utroq;
igitur distinctè respondendum fuerit.

4. Renatorum n. & Electorum non unam eandemq;
esse definitionem, longèq; latius Renatorum quàm Electro-
rum patere titulum; tum ex disputatione proxima, de præ-

A 2 destinati-

destinatione habita satis constat: tum ex ijs, quae jam disputabuntur, patebit evidentiùs.

Conf. Aug. 5. De RENATIS ergò primo loco ut agamus, sacram
Artic. 12. rum literarum secuti normam, disertè affirmamus, fieri posse & solere, ut qui vera fide donati, vi Spiritus Sancti cum Christo coaluerunt, non tantùm totaliter circa fidem & gratiam Dei naufragium patiantur; verùm finaliter etiam excidant, ac aeterno sese exitio involvant.

6. Affirmati hujus rationem suppeditant & testimonia & exempla ἔγγεγραφα: quorum quaedam ad confirmandam veritatem huc annotare, haud abs re fuerit.

Exod. 32, 33. lezech. 18, 24. 7. Qui peccaverit mihi, clamat ipse de caelis Iehovah, delebo eum de libro vitae: Et si averterit se justus à justitia sua, nunquid vivet? in pravaricatione, qua pravaricatus est, & in peccato suo, quod peccavit, in ipso morietur.

Luc. 11, 24 & seqq. 8. Idem Servator pluribus explicat, cum, inquiens Spiritus immundus exierit ab homine, ambulat per loca amentia, quarens requiem: & non inveniens, dicit, revertar in domum meam, unde exivi: & cum venerit, invenit eam scopis mundatam: Tunc vadit & assumit septem alios Spiritus nocentiores ipso, & ingressi habitant ibi, & fiunt extrema hominis illius pejora primis.

Rom. 11, 22 & 23. 9. Paulus vide inquit, bonitatem ac severitatem Dei: in eos quidem qui ceciderunt, severitatem: in te verò bonitatem, si permanseris in bonitate: alioquin & tu excideris: Et illi rursus, si non permanserint in incredulitate inserentur. Potest enim Deus denuò illos inserere.

Rom. 8, 13 Gal. 5, 4. 10. Hinc Romanis, certè renatis, hunc subinde ingeminat Aphorismum: Si secundum carnem vixeritis, moriemini: Et Galatis suis, prius conversis graviter attestatur, nisi maturè pedem referant, fore, ut gratia excidant, & Christus eis nihil proffit.

Quis

11. Quin de semetipso idem disertè fatetur Apostolus se subigere corpus suum, & in servitutem redigere, ne quo modo fiat, ut cum alijs predicârit, ipse reprobus efficiatur. 1. Cor. 9. 27.

12. Adstipulatur D. Paulo etiam Petrus, aperte asserens eos, qui refugerant ab inquinamentis hujus mundi per agnitionem Domini & Servatoris nostri Ihesu Christi, his rursus involutos superari posse, ita ut postrema fiant deteriora primis &c. 2. Pet. 2. 20, & 21.

13. Et profectò nisi fidem semel adepti, rursus eandem amittere possent, quis obsecro tot admonitionum ad perseverantiam, quis precationum illarum foret usus, quibus renati, ne proyiciantur à facie Dei, sanctusq; Spiritus ab ipsis auferatur, adeò sollicitè Deum invocare leguntur? Ioh. 5. 14. 1. Cor. 10. 12. Psal. 51. 19.

14. Suffragatur his Orthodoxa etiam Antiquitas: ut Chrysostomus, scribens: Non solum opera bona sanctorum nobis sunt scripta, sed & peccata, ut illa quidem fugiamus, ista verò imitemur: Neq; hoc solum, sed monstrat in super divina scriptura, & justos sapè lapsos, & peccatores agentes pœnitentiam, quo utring; sufficiens & nobis esset securitas, & neq; qui stetit, confidentior sit, videns & justos posse labi, & lapsos esse. in Gen. c. 9. hom. 19.

15. Et D. Bernhardus, Non inquiens sumus nos Apostolo sanctiores, qui tamen verebatur, ne fortè cum alijs predicasset, ipse reprobus efficeretur: Sed id tamdiu nobis timendum est, donec laqueus (corpus) contritus sit, donec corpus istud anima deposuerit. Serm. 3. in Psal. 91.

16. Comprobant idem tristissima illa horrendorum & abominandorum lapsuum exempla in ijs, quos verè renatos fuisse, negari non potest: quorum quidam per pœnitentiam ad gratiam redierunt: quidam verò æternæ salutis fecerunt jacturam.

17. Prioris generis exempla nobis scriptura suppeditat in Davide & Petro, quorum ille homicidium simul & adulterium commiserat, hic vero ter abnegando Christum gravissimè prolapsus fuerat.

Beza Coll. 18. Neque enim, id quod Sacramentarij faciunt, tristissimi hi lapsus ita verbis sunt extenuandi, ut non tota eos voluntate, sed secundum exteriorem tantummodò hominem peccasse, & fidei quidem sensum ac usum, non verò ipsam Fidem, ut quæ instar ignis cineribus tecti latuerit, amisisse existimemus.

Gal. 5, 19, & seqq. Eph. 5, 5. 19. Præterquàm enim quod malè feriat isti homines non probant quod dicunt: mendacij etiam apertè arguunt ipsum Apostolum, qui omnem scortatorem, immundum, aut avarum, regni cælorum expertem esse, sonora voce pronunciat.

Matth. 10, 33. 20. Et Christum Servatorem, qui in sui abnegatores hanc fert sententiam: Quisquis negaverit me coram hominibus, negabo eum & ego coram patre meo cælesti.

Luc. 22, 32. 21. Quare & ad Petrum, licet pro ipso oraverit Dominus, ut ne deficiat Fides ejus, tamen expressè dicit: Et tu conversus confirma fratres tuos.

22. Nisi enim post negationem conversus fuisset: defecisset profectò Fides ejus, ipseque æternum periisset.

Gen. 1, 27. Eph. 4, 24. Rom. 5, 12 & 18. 23. Ejusdem generis exemplum horrendus ille proflatorum lapsus etiam subministrat, quos in justitia & sanctitate veritatis, ad ipsius Dei imaginem conditos, transgressione tamen sua non seipsum modò, sed universos ac singulos humane stirpis posteros ira Dei ac æterna damnationis reos peregisse, Scripturarum demonstrant oracula.

24. Hos ergò si Sacramentarij adversa fronte gratiæ Dei excidisse negaverint: sequetur infallibiliter aut posse aliquos maledictos, & æterna damnationi addictos, Spiri-

ius sancti gratiam nihilominus sartam rectam conserva-
re: aut falsam esse, quod Iehovah ipse minatus illis fuerat:
Quaecumq; die comederitis ex ligno hoc, morte morie-
mini. Gen. 2. 17.

25. Verumvis elegerint Sacramentarij, manifesta ab-
surditate, imò blasphemia ipsos laborare est manifestissi-
mum.

26. Neq; enim comminatio isthac, fulgur quod aiunt
è pelvi fuit, aut inane terriculamentum: sed verè aeterna
morte pereundum fuisset protoplastis, nisi divina ipsis succo-
currisset misericordia.

27. Siquidem uti B. Fulgentius scriptum reliquit, lib. 1. ad
Monimum
cap. 27.
prima mors anima, quam sibi homo intulit, secunda mor-
tis est causa: & secunda mors, quam Deus homini reddi-
dit, prima mortis est poena.

28. Vnde & D. Irenaeus Adamum, primum possessio- lib. 3. con-
tra Valent.
cap. 33.
nis Diaboli vas factum, & sub ipsius potestate detentum
fuisse captivum, expressè scribit, donec Dei superveniente
misericordia condemnationis vinculus solutus fuerit.

29. Sed & alia huius generis exempla nobis sacra li-
tera suppeditant: ut Aaronis, cui ita succensuerat Deus, ut Deut. 9,
20.
voluerit eum excindere: Apostoli Thoma, articulum fidei Ioh. 17. 12
de resurrectione Christi negantis: Hymenei & Mileti, qui 1. Tim. 1,
19.
fidei fecerunt naufragium: Corinthiaci illius incestuosi, 1. Cor. 5. 5.
quem Satana traditum ad tempus Apostolus, postmodum 2. Cor. 2,
8.
in Ecclesiam recipi mandat.

30. Posterioris generis exempla in Saule, Iuda prodi-
tore, & alijs videre licet: quos quantumvis antea renan-
tos, finaliter tamen excidisse, ac proinde aeternum perijisse
constat.

31. Ad quod posterius genus referendi sunt omnes ij,
qui in infanti atate per lavacrum regenerationis verè
regene-

regenerati, postmodum ubi adolefcunt, fide & Spiritu Sancto excusso, aeterna salutis faciunt dispendium.

Miscell. f. 32. Quibus ita constitutis blasphema vox est Zanchij assertentis: remissionem peccatorum semel impetratam per insequentes lapsus non posse fieri irritam: & Spiritum sanctum semel renato datum cum eo manere in aeternum.

suprà thes. 18. 33. Et Beza scribentis Petrum abnegantem Christum, & Davidem ruentem in adulterium, non amisisse Spiritum sanctum & fidem.

Rennech. 34. Quibus pari planè & impietate & blasphemia subscribit alius quidam, affirmans, saepe complures ex numero electorum esse, qui pessimam vitam degunt: & tamen eos in sua infirmitate majorem habere perseverantiam quàm Adam in sua perfectione habuit.

35. Quàm autem hoc impietatis dogma cum universa Scriptura pugnet: omnes promissiones, objurgationes, comminationes divinas funditus evertat: ipsum tandem Epicurismum & à Deo plenis velis in mundum invehat; res ipsa quod ajunt, passim loquitur.

36. Caterùm ut ad alterum dati ἑκείνου subjectum accessum faciamus; de Electis etiam propriè sic dictis queri solet: An & illi gratia Dei excidere: & si possunt, utrum finaliter etiam excidere queant.

37. In questionis hujus decisione initio illud ex disputatione proxima de predestinatione, huc accommodandum & probè considerandum fuerit; Electos verè ac propriè sic dictos non nisi finis atq; eventus salutaris implicatione, qui est fides in Christum ad finem usq; perseverans, salus ac beatitudo, definiendos esse.

38. Quo respectu Electi non sunt, nisi qui vera fide cum Christo coalescunt, & hanc fidem vel prorsus non abijciunt: vel si casu aliquo praoccupati circa eam naufragium

gium patiuntur, ante tamen finem vitæ ad eandem revocari se patiuntur, ac postmodum in ea præ vitam finiunt & salvantur.

39. Ομοίως iste Electorum nulli Individuo quantumvis renato & sancto, ut nec Davidi nec Petro, aut ulli alicui personæ absolutè & simpliciter: sed κατὰ τὴν sub consideratione videlicet perseverantia in fide ad extremum usq; vitæ habitum competit.

40. Quicumq; ergo tali fide est præditus, is verè ac propriè Electus dicitur, sive is ratione personæ sit Cain sive Abel; sive David sive Saul: sive Petrus sive Judas: sive Paulus sive Nero: Siquidem teste Apostolo nulla apud Deum personarum est acceptio. Rom. 1,
Gal. 3, 28.

41. Unde liquet, terminos esse planè convertibiles & reciprocos, Electum esse, & perseverare in fide usq; ad finem: item, Electum esse, & vitam aternam consequi: secundum illud Apostoli: Quos prædestinavit, hos & justificavit & glorificavit. Rom. 8,
30.

42. De his ergo Electis, quoad Quæstionem ipsam, distinctè respondemus: eos totaliter quidem excidere posse gratia Dei & excidere sapissimè: juxta illud, ~~Iustus in die cadit septies~~: Verùm finaliter ipsos excidere posse, simpliciter negamus. Prov. 24,
16.

43. Quod si enim finaliter exciderent, utiq; jam Electi non fuissent: sed ἐν πλάτει & generaliore tantùm significatu vocabulum Electionis, illis dum adhuc crederent & quidem minus propriè fuisset accommodatum.

44. Si enim, D. Apostolo teste, fuissent ex nobis, utiq; mansissent nobiscum. 1. Joh. 2,
19.

45. Neq; verò cum finaliter excidere posse Electos propriè sic dictos negamus, falsam Sacramentariorum stabilimus hypothesein, qua absolutum quoddam de certis quibusdam

B

busdam

busdam absolutissime & necessario salvandis, Deum ab aeterno fecisse decretum somniant.

46. Talem enim fatalem Electionem respectu certorum Individuorum factam, Scriptura sacra penitus ignorat & abominatur; id quod suo loco copiose est demonstratum.

47. Verum conditionem Electorum infallibilem intuemur, quae ratione ordinis à Deo ab aeterno constituti in eo versatur, ut electi in fide vitam finiant, ac proinde à salutis scopo minimè aberrent.

48. Quò Scriptura respicit, dum promissionem de custodiendis in perpetuum Electis, non à fatali illo & Stoico Calvinistarum decreto: sed ab illa de qua jam diximus conditione expresse in solidum suspendit.

49. Christi enim domus manemus, si fiduciam & gloriam spei, ac initium substantiae ad finem usq; firmum retineamus, ut loquitur Epistola ad Hebraeos cap. 3. 6. & 14.

I. de fide ad
Petrum c.
35. Quo sensu rectè D. Augustinus scribit: Firmissime tene, & nullatenus dubites, omnes quos ante constitutionem mundi in adoptionem filiorum Dei praedestinavit Deus, non perire posse: Siquidem praedestinatio est gratuita donationis preparatio, qua nos Apostolus ait praedestinatos in adoptionem filiorum Dei, per Iesum Christum in ipsum.

Ioh. 10, 28
2. Tim. 2,
19. Etsi verò Electi vitam aeternam non excidunt, quia sunt qui ad finem usq; perseverant: Quo nomine illos nemo rapere potest è manu Christi: Et firmum solidumq; stat fundamentum Dei, habens signaculum hoc: Novit Dominus qui sint sui.

Eph. 5, 6. 52. Interim tamen gratiam Dei amittere, ac Spiritum Sanctum & quidem totaliter excutere possunt: dum in ea peccata prolabi eos posse constat, propter qua venit
ira

ira Dei super filios inobedientia: id quod exempla Lothi,
Davidis, Petri, & similium electorum testantur.

53. Neq; obstat, quod aeterna praedestinationis decre- Rom. 11.
tum immutabile, & dona ejus ἀμεταμέλητα. Apostolus esse 19.
asserit.

54. Primum n. diligenter distinguendum inter dona
sine conditione data, & inter ea, qua non nisi certa condi-
tione conferuntur.

55. Deinde scopus dicti Apostolici accuratè expen-
dendus, qui non is est, quem Sacramentarij fingunt, quòd
videlicet electi, aut etiam renati fidem & Spiritum San-
ctum nunquam amittere possint: Siquidem eo loci contra-
rium planè multis docet Apostolus: imprimis versu 19 &
sequentibus aliquot.

56. Verùm hic Apostolo est propositus, ut ostendas,
cum Deus populum Iudaicum à sanctis patribus descen-
dentem semel vocaverit, & in populum asciverit: idèd
Deum nunquam ita prorsus istum abijcere, quin vi hujus
suae vocationis, & irrevocabilis promissionis patribus illis
facta, residuos in eo populo credentes, tanquam sanctas re-
liquias pro suis dilectis filijs agnoscat & habeat.

57. Quid? quòd respectu finis, ipsum praedestinati-
onis decretum, quoad Electos, verè est & manet ἀμεταμέλη-
τον: siquidem ex lapsu per penitentiam tales semper rede-
unt: secundum illud Psalms: Cùm ceciderit justus non col- Ps. 37, 24
lidetur, quia Dominus supponit manum suam: Et si vel ma- 2. Tim. 2.
ximè nos negaverimus, ipse tamen fidelis manet, negare 13.
seipsum non potest.

58. Parit autem hac doctrina in animis fidelium
magnam consolationum vim, ut nimirum in omnibus
arumnis ac tentationibus, quanta quanta illa etiam ex-
siterint, plena fidei πλῆροφροῦν, persuasissimum sibi habe-

Ioh. 10, 28 & 29.
2. Tim. 1, 12.
Rom. 8, 39.
ant, quòd oves Domini non pereant in aeternum, nemoq;
rapturus sit eas ex manibus ipsius: quodq; potens sit Domi-
nus depositum nostrum servare in diem illum; neq; ulla
creatura possit separare eas à dilectione Dei, qua est in
Christo Ihesu Domino nostro.

59. Neq; est, ut hac ipsorum animis obrepat dubita-
tio, An ipsi quoq; sint ex numero illarum ovium & Electo-
rum Dei.

60. Siquidem certitudinem Electionis ipsa primum
2. Cor. 13, 5.
in illis Fides confirmat: dicente Apostolo, vos ipsos tenta-
te, num sitis in fide, vos ipsos probate: An non cognoscitis
vosmetipsos, quod Ihesus Christus in vobis est? nisi sicubi
reprobi estis.

Rom. 8, 16 & 26.
Eph. 1, 14.
61. Deinde Spiritus sanctus etiam testimonium per-
hibet Spiritui nostro, quod simus filij Dei, & infirmitatibus
nostris opitulatur, ac pro nobis intercedit gemitibus in-
narrabilibus: quin imò ἀρραβών est hereditatis nostra, in
redemptionem acquisitæ possessionis.

Rom. 4, 11.
1. Pet. 3, 21.
62. Quò accedit & usus Sacramentorum, qua signa-
cula justitiæ Fidei propterea nominantur, & bonæ consci-
entiæ ἐπερώτημα stipulatio apud Deum.

63. Quibus ita constitutis, ut tandem questioni pri-
mæ finem imponamus, Anabaptistarum & horum hac in
parte contribulium Sacramentariorum dogma fanaticum
toto pectore detestamur & abominamur, quo Epicurismo
non fenestras, sed portas bipatentes pandentes, Spiritum
sanctum à semel justificatis, per quævis etiam facinora a-
mitti nunquam posse, impiè contendunt.

QVÆSTIO II.

64. Quemadmodum verò prior Quæstio non rectè
cognita ac percepta Securitatem plenis velis invehit: ita
posterioris Quæstionis negativa assertio, Desperationi
scholam vel maximè solennem aperire constat.

Ipsa

65. Ipsa autem Quæstio talis est: An semel aut etiam
sepius post regenerationem lapsis, pateat ad Ecclesiam, &
gratiam unde excidebant reditus?

66. Affirmativam cum Augustana Confessione utraq;
manu amplectimur: & moti rursus tum S. literarum au- Artic. 12.
toritate, tum exemplorum plurimorum evidentia, disertè
credimus ac confitemur, lapsis quovis tempore, cum con-
vertuntur, contingere posse remissionem peccatorum, &
receptionem in gratiam tam Dei quam Ecclesie.

67. In veteri testamento clamat apud Hoseam Ieho- Hos. 14, 2.
Iezech. 18,
30.
Ier. 1, 18.
vab: Revertere Israël ad Dominum Deum tuum, quoniam
am corruisti in iniquitate tua: & apud Iezechielem: Con-
vertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus
vestris; & non erit vobis in ruinam iniquitas: sed si fue-
rint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabitur:
& si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba
erunt.

68. In novo monetur Angelus Ecclesie Ephesina, ut Apoc. 2, 5
meminerit, unde exciderit, & pœnitentiam agat, ac prio-
ra opera faciat.

69. Manet enim, aeternumq; manebit inviolabile Ps. 89, 31,
& seqq.
pactum Domini, quod solenniter cum Christo vero Solo-
mone, ejusq; membris, de misericordia sua, omnibus quan-
tumvis lapsis sed per pœnitentiam redeuntibus, facta testata
conservanda sancivit.

70. Idem sibi vult universus doctrina Evangelica
scopus, qui in eo consistit, ut non semel tantum ad fidem
Christi convertendis, sed indefinitè omnibus pœnitentibus
gratuita peccatorum remissio propter Christum annuncietur.

71. Nam aliàs Evangelij de remissione peccatorum in
Ecclesia nullus foret usus: sed extra ejus pomeria, ad non-
dum baptizatorum aut renatorum collegia relegandum
esset.

Matth. 18, 18.
Ioh. 20, 23.
72. Præterea supervacanea etiam omnino foret potestatis clavium Apostolis concedita, solennis illa institutio, nisi ejus quotidie erga lapsos pœnitentes usus exercendus esset.

73. Quid? quod negativa sententia in eam incurris blasphemiam, ut lapsorum peccatis misericordiam Dei superari, & merito Christi non omnia ac singula peccata expiata esse, fateri necesse habeat.

74. Quin imò frustra Servator nos in Oratione Dominica remissionem peccatorum quotidie efflagitare juberet: frustra eandem nobis fide rogantibus verè obvenire, in symbolo Apostolico & confiteremur & crederemus.

I. de vera & fal. pœnit. c. 5.
75. Oportet enim, uti D. Augustinus piè hinc colligit, Ecclesiam sic credere, quia confitetur se sæpè peccare: Et post pauca: Cur Deus Petri pedes lavisset, & Ecclesiam hoc idem docuisset, nisi quia quotidiana est offensio, oportet ut quotidiana sit remissio.

76. Et, ut idem ibidem habet; Cur docuisset ipse Dominus orantes dicere: Dimitte nobis debita nostra, nisi ipse misericors perseveraret, qui nos ab hac petitione non vult deserere? Nullus itaq; tantum unquam posset peccare, qui pœnitens velit desperare &c.

Epist. 7. de pœnit.
77. Et Fulgentius, sicut inquit medico nostro (Christo) nulla est incurabilis plaga, ita nec in aliquo vulnere, nec in aliquo tempore cælestis potest deficere medicina.

78. Unde D. Chrysostomus in Synodo quadam, perquam piè exclamavit, *χιλιάρκισ μελανοήσας εἰσελθε.*

Luc. 22, 32.
Ioh. 20, 28 & 29.
1. Cor. 5, 5.
2. Cor. 2, 7 & 8.
79. Sed quid multis in re manifesta opus, cum Servator ipse Petrum ex abnegatione pœnitentem: Thomam ex infidelitate resipiscentem, remissis peccatis in gratiam receperit: & Apostolus incestuosum illum Corinthium, quem Satana pridem tradiderat, pœnitentiam agentem, solari rursus, & postliminiò Ecclesie gremio inseri voluerit.

Facesat

80. Faceſſat ergò crudeliſſimum Novatianorum dogma, qui ut Epiphanius habet, ſtatuebant μετὰ τὸ λήτρον μηκέτι δύναντες ἐλεῖσθαι ἐν πενήτοις; poſt lavacrum regenerationis miſericordiam amplius conſequi non poſſe eum, qui ceciderit.

81. Quam blaſphemiam, præter eas quas jam protulimus rationes, multis alijs & nervoſè & eruditè refellit Cyrillus, libro 5. in Iohannem, cap. 17. & 25. quas omnes diſputationi huic inferere, noſtri non eſt inſtituti.

82. Verùm cum unica Penitentia ſit portus & ſacra Hieron. in Daniel.
anchora lapſorum, imò ut D. Hieronymus loquitur, nullum aliud relictum nobis ſit remedium, quo veſtis innocentia in baptiſmo percepta, peccando autem poſtmodum corrupta, reparari queat, quàm penitentia. Quidnam ea ſit, & qua eius requiſita, ex verbo Dei paucis diſpicere, non fuerit inconueniens.

DE POENITENTIA.

83. Eſt a. Pœnitentia, ut ab eius definitione ordiamur, motus cordis, à Spiritu ſancto per verbum Dei in nobis excitatus, quo & peccata, quibus temporales & æternas pœnas promeriti ſumus, ſeriò agnoſcimus, deploramus, deteſtamur: & vera fide promiſſiones Evangelij de gratuita peccatorum remiſſione per & propter Chriſtum, amplectimur.

84. Partes eius, definitionis ſecuti normam, duas tantùm conſtituendas eſſe, affirmamus: Contritionem nimis
rum, & Fidem.

85. Omnis enim vera ad Deum converſio, duo hæc quaſi propria προσηκείμενα ſive requiſita ſemper ſibi vendicat: ut 1. de admiſſis peccatis ſeriò doleamus: & 2. firma fide promiſſiones Evangelij proprias apprehendamus.

Oritur

86. Oritur duplex hac vera pœnitentia proprietas, ex duobus illis doctrina Christiana generibus, Lege & Evangelio: Cujus utriusq; ministerium, ad veram pœnitentiam in homine peccatore generandam concurrat necesse est.

Rom. 3,
10.

87. Non confuse quidem, sed distinctè: ut nimirum doctrina Legis non vivificatio, sed mortificatio: Lex n. iram operatur: Evangelio verò non mortificatio, sed vivificatio in solidum adscribatur: Siquidem est potentia Dei ad salutem omni credenti.

Rom. 1,
16.

88. Contritio ergò mortificationi directè respondens, Legis erit propria: Fides verò, vivificationis vim obtinens, solius Evangelij erit effectus.

89. Contritionis subiectum non est sola memoria, in nuda tùm admissorum delictorum: tùm futuri judicij ac suppliciorum eternorum recordatione subsistens.

90. Sed ipsa potius hominis conscientia sive Animus, qui designatorum peccatorum tristi illa recordatione consternatus, non solum atrocitatem illorum verè agnoscit, sed seriò etiam deplorat & detestatur.

91. Talem verò contritionem homines nequaquam vi facultatis alicujus naturalis, ex doctrina legis concipere possunt: sed ipsius Spiritus sancti hac est operatio, qui malo legis corda eorum, qui ad agnitionem peccatorum adduci debent, ferit & contundit.

2. Tim. 2,
25 & 26.

92. Deus enim Apostolo teste est, qui dat pœnitentiam, & ex diaboli laqueis, quibus irretiti tenebantur, ad resipiscentiam recolligit homines.

93. Multum autem ponderis momentiq; ad acuedum contritionis dolorem obtinere etiam solent pœna & calamitates tam publica & externa, quàm privata & interna: omnium verò maximè Meditatio acerbissima passionis

onis

onis & mortis unigeniti Filij Dei, si considerationem ejus non primam atq; propriam, sed secundariam & quasi accidentalem suscipias.

94. Caterum versatur Contritio circa agnitionem peccatorum non tantum externorum & graviorum: sed interioris etiam immundicie, qua; ex ea oriuntur delictorum omnium: ut sunt dubitatio de Deo, securitas, admiratio sui, superbia, odium, ira, & qui sunt hujus generis affectus inordinati & vitiosi alij.

95. Neq; vero contritio isthac meriti alicujus vim obtinet, cujus vel quantitate vel qualitate fiat, ut remissione peccatorum potiamur: siquidem hoc in solidum unico Christi debetur merito.

96. Neq; etiam Medij apprehendenda gratia in Evangelio oblata naturam induit: Hoc enim proprium Fidei munus esse, Scriptura testatur.

97. Sed requiritur partim ut obsequium, divina voluntati debitum, cui cum praefractis & contumacibus peccatoribus, nunquam convenit: partim ut stimulus sive ὀξύνηλον, aut etiam quasi πρὸ πᾶσης ἰατρικῆς aliqua, ad securam medicinam.

98. Non igitur ad salutarem Paenitentiam sola sufficit Contritio, ut qua sibi relicta, ad desperationem potius miseros adigit: sed altera quoq; pars, Fides nimirum, qua est vita ac anima vera resipiscentia, accedat necesse est.

99. Comprobant hoc quod diximus Exempla conversorum omnium: ut Adami, qui contritione motus, quo se proripiat, ignorat: statim autem promissione gratia recreatus, fide in promissum semen mulieris se sustentat: Item Latronis à dextris Christi crucifixi: Davidis & aliorum.

100. Intelligimus autem per Fidem, non Legis, aut

C

historia

Gen. 3, 8.

Luc. 23,

41 & 43.

2. Sam. 12,

13.

historia tantum Evangelica notitiam, qualem Pontificij
comminiscuntur: sed fiduciam certam in promissiones
Evangelicas, de gratuita propter Christi meritum remissi-
one peccatorum.

1.3. inlit. c. 101. Hanc fidem verè ac propriè ad ipsam Conversi-
3. S. 5. & c. onis salutaris substantiam requiri, ac proindè rectè ejus
partem & quidem nobiliorem constitui, contra Calvinij
strophas pleno ore asserimus.

Actor. 10. 102. Cùm enim, uti jam demonstratum, nulla ullius
43. 15. 9. Conversio, sine fide suam fuerit assecuta perfectionem:
Rom. 3, 22 & 25. cùm remissio peccatorum, pax cum Deo, tranquillitas cons-
c. 5, 1. scientia non nisi per Fidem accipiatur: cùm denig. sola fi-
Eph. 3, 12. des, inter pœnitentiam Iudæ & Petri, veram & falsam,
inter timorem Dei servilem & filialem discrimen consti-
tuat: Quis ita à mente alienus, qui non videat, Fidem pœ-
nitentia salutaris vel maximè propriam rectissimè consti-
tui.

103. Fides igitur isthac, cujus Objectum est promissio
gratia salutaris in Christo, firma fiducia cordis credit &
statuit, sibi omnia peccata, quanta quanta etiam illa fue-
rint, à Deo propter Christum gratis, non propter ullam pro-
priam dignitatem aut merita, verè remitti & condonari.

104. Hanc cordis fiduciam Scriptura τὸ ληθοφορίας &
τὸ ἀρρητίαις terminis indigitare solet: ut Eph. 3, 12. Rom.
4, 21.

105. Absit ergò à renatorum fide omnis dubitatio
& hesitatio, ut qua ἀπίστια propria, cum ipsa Fide justifi-
cante stare nulla ratione potest.

106. Non quidem quò ea renatorum sit perfectio, ut
non interdum quoq. aliquos dubitationum scrupulos, ani-
mos suos vellicare sentiant: sed quod illis reluctantes, fi-
des

dei objecto scuto omnes illos Diaboli ictus fortiter excipere, ac feliciter propulsare debeant.

107. Concipitur autem fides isthac non ex viribus humanis, aut ulla aliqua opegyia hominis non renati: sed ex sola Spiritus sancti operatione, qui per verbum auditum Fidem in hominibus efficit.

Phil. 1, 29.
Coloss. 2,
12.
1. Cor. 12,
9.

108. Non per verbum quodvis, sed per verbum Evangelij proprium, quod solum promissiones illas de gratuita peccatorum remissione propter Christum in sese continet.

109. Effectus Fidei sunt, consolatio conscientiarum, ex agnitione peccatorum prostrata & contrita: & liberatio ex terroribus: pax cum Deo: studium bonorum operum &c.

Rom. 5, 1.
Eph. 3, 12.
1. Ioh. 4,
18.

110. Ex quibus omnibus consequens est, Fidem Contritioni junctam, veram & salutarem pœnitentiam & constituere & absolvere: ac proinde plures pœnitentiæ partes, dummodo proprietatem rei attendere velimus, constitui nec posse, nec debere.

111. Nam quod nonnulli ea, quæ extra complexum rei sunt, & eandem consequuntur potius, quàm constituent, partium censui annumerare: interq; eas, Novam etiam obedientiam referre solent: id vero minus propriè fieri existimamus.

112. Neq; enim bona opera, quæ vulgò in scholis, Nova Obedientiæ termino indignantur, Pœnitentiæ pars esse possunt: ut quæ actum pœnitentiæ generanda seu efficienda minimè ingrediuntur: id quod ex ijs quæ jam de pœnitentiâ sunt disputata, est manifestissimum.

113. Quid quod teridopica isthac duplici & quidem gravissimo cum periculo ac scandalo est conjuncta.

114. Nam ex una parte ansam sui erroris inde hauserunt ij, qui bona opera ad salutem esse necessaria docuerunt.

115. Ex altera verò parte, pias mentes in lætæ fidei, ubi sapissimè bonorum operum nulla planè est apparentia, succumbere necesse est, si ea partem conversionis esse statuerint.

116. Quare rectè consultissimum tutissimumq; esse Augustana Confessionis Apologia statuit, si propter turbatas turbandasve conscientias, τειρομια ista in constituendis panitentia partibus non utamur.

117. Interim tamen Novam Obedientiam, fructum quasi & consequens salutaris pœnitentiæ esse, libenter largimur: ita tamen, ut convertendum non faciat aut perficiat, sed jam conversum, quasi umbra corpus necessario sequatur.

118. Verùm quæ & qualia jam renatorum sive conversorum sint opera, quis eorum usus ac effectus, in disputatione precedente fuit explicatum copiosius.

119. Quare vela hîc contrahimus: & quoad τὰς ἑτεροδιδασκαλίας, Anabaptistarum initio furorem reijcimus & detestamur, qui vera contritionis nervos incidentes, tantam sinxerunt renatorum in hac vita esse perfectiōnem, ut peccare nequeant.

120. Deinde verò Pontificiorum panitentiam, quam ipsi Cordis contritione: Oris confessione: Operis satisfactione definiunt, quamq; Sacramenti propriè sic dicti nomine venditant, toto pectore abominamur.

121. Contritionem illi requirunt omnibus numeris absolutam, quæ commissorum delictorum atrocitatem æquet, quæq; non modò de congruo, verùm etiam de condigno, peccatorum remissionem promereatur.

Hugo de S. vict. l. 2. de Sacram. part. 14. c. 2. Concil. Trid. Sess. 6. c. 6. & sess. 14. c. 4. Mag. sent. l. 2. dist. 27. lit. Reb. Bellar. Tom. 2. Contr. gener. fol. 2295. & seqq.

Atqui

122. *Atqui cum nullius hominis dolores, quantumvis acerbi, tam insensivi quam appreciatiui, ut Bellarminus loquitur, ne in infimo quidem gradu ira divina magnitudini, vel etiam commissorum delictorum atrocitati respondere possit, ecqua obsecro unquam perfecta fuerit contritio?*

Tom. 2. f. 1296.

123. *Iehovah inquit Moses, ignis consumens est: Et Psaltes canit: Si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit: & Iobo teste, Si voluerit cum homine contendere Deus, non poterit ei respondere unum pro mille.*

Deut. 4.
Psal. 30.
Iob. 9. 3.

124. *De confessione Oris particulari, praterquam quod satis rigidus in iure Canonico extat Canon: Synodus Tridentina nuper definivit universam Ecclesiam semper intellexisse, institutam esse à Domino integram omnium peccatorum confessionem: omnibusque post baptismum lapsis ad salutem iure divino eam esse necessariam: ac Anathematis fulmine ferit omnes eos, qui contra ausi fuerint disputare.*

l. 5. decretal. tit. 38. de pœnit. & remissio onib. Sess. 4. c. 5. & sess. 14. c. 5. Can. 6 & seqq.

125. *Nos fulmen hoc brutum nihil extimescentes, specialem hanc confitendi rationem planè impossibilem, verboque Dei contrariam esse, intrepidè affirmamus: Delicta enim quis intelligit: & ab occultis munda me Domine, orat Psaltes, Psal. 19.*

126. *Etsi verò non negamus in primitiva Ecclesia quoddam fuisse Confessionis genus, quo pœnitentes presbytero graviora delicta, quibus Ecclesiam offenderant, confitebantur: neque tamen carnificina pontificia erat similis: neque ad eam sub juris divini mandato adigebantur: verum liberrimus ejus relinquebatur usus.*

Soer. l. 5.
hist. Eccles.
c. 19.
Sozom. l.
7. hist. Ecc.
c. 16.

127. Vnde in Orientali Ecclesia Nectarius Episcopus Constantinopolitanus, suffragante Eudemone Alexandrino, ordinem presbyterorum, uti vocabant pœnitentiariorum penitus sustulit, liberamq; concessit potestatem, ut pro sua quisq; conscientia ad mysteria participanda accederet: eo pacto inquires, futurum, ut Ecclesia careat infamia macula, qualis ex confessione particulari matrona cujusdam nobilis, ipsi erat iniusta.

128. Neq; verò omnem planè confessionem Auricularem ex agro ac finibus Ecclesie relegatam volumus: verùm eam, quam S. litera tradunt, & qua fit vel Deo: vel sacerdoti: vel proximo cuiq; Christiano, in Ecclesiis retinendam esse, haud inviti concedimus.

129. Satisfactionem Operis definiunt Pontificij, quòd sit operatio exterior, laboriosa seu pœnalis, voluntarie assumpta ad puniendum peccatum à se commissum, & ad placandam divinam offensam.

130. Quamvis enim culpa seu peccatum sit remissum propter meritum contritionis & confessionis: pœnas tamen satisfactionibus operum, redimendas esse finxerunt.

131. Hujusmodi satisfactionum quinq; gradus ab ipsis constituti: ut 1. Opera indebita, qualia sint peregrinationes, rosaria, certorum dierum ieiunium & abstinentia à certis cibis, oblationes cereorum &c. 2. Cooptatio in collegia Monachorum, 3. merita sanctorum defunctorum, 4. Purgatorium, 5. Vigilia & missa funebres. &c.

Antonin. par. 3. summa. tit. 14. c. 20. §. 1. Concil. Trid. Sess. 6. c. 14. sess. 14. Can. 12. Rob. Bell. Tom. 1. fol. 1883. & Tom. 2. fol. 1423. & seqq.

132. Blasphema hæc sunt omnia in sanctissimum Christi meritum, quod non pro culpa saltem, sed pro pœna
etiam

etiam perfectissimum & sufficientissimum λόγος exolvisse
sacra litera irrefragabiliter evincunt. Ies. 53, 5. Mich.
7, 18 & 19. Ioh. 5, 24. I. Pet. 2, 24. &c.

133. Et quamvis in primitiva Ecclesia, fuerit aliqua
solennis pœnitentia & satisfactionis impositio: absq̄, ta-
men opinione meriti, non omnibus pœnitentibus, sed ijs
tantummodo imponebatur, qui enormi & graviore aliquo
delicto Ecclesiam offendissent: ac propter id excommuni-
cati, non Deo, sed disciplina Ecclesiastica satisfacissent.

Cypr. 1. 3.
epist. 4.
Tertul. lib.
de pœnit.

134. Quam Ecclesiasticam satisfactionem, quatenus
Ecclesie disciplinam conservat, tam non improbamus,
ut illam certo suo modo, pro ratione cujuscumque loci & Ec-
clesie institui posse ac debere existimemus.

135. Sed finis thesium hîc esto: Faxit Deus Opt. Ma-
ximus, qui nos immensa sua misericordia à Tyrannide
Pontificia liberatos, & ex tenebris illis plusquam Cimme-
rijs ereptos, pristina libertati ac luci restituit, ut in debita
gratitudinis Symbolum, magis magisq̄, ob peccata nostra

2. Cor. 7,
9.
Rom. 6, 4.
Matt. 3, 8.

afficiamur dolore, qui secundum Deum est: inq̄
novitate vite ambulantes, fructus
edamus dignos pœni-
tentia.

A M E N.

ORNATISS. DN. M.
IOHANNI PAPPO:

R Ara boni soboles sequitur vestigia patris
Plurima degenerat, pestis esse solet.
Sed

Sed tua, P A T R E, sagax rerum natura crea-
trix



Pectora formavit de meliore luto:
Indidit & stimulos patriæ virtutis, ut acer
Scruteris summi iura verenda D E I:
Et iam fallaces studeas dissolvere tricas,
Quæ vel Calva struit, vel malè raso cohors.
Sic perge in studijs; ceu nomine & ore paren-
tem,
Haud secus ut referas omine & arte, tuum.

M. Nic. Rebhan.

F I N I S.







DISPUTATIO XII.

IN RENATI

ELECTI POS-

T EXCIDERE GRA-
A DEI: ET NUM SEMEL
lapis ad eandem pateat
reditus:

ET

E POENITENTIA.

Q V A M

Spiritus sancti favente numine

SUB PRÆSIDIO

NHARTI HVTTERI,

THEOLOGIAE

DOCTORIS

Respondendo tæri conabitur

HANNES, DOCT. IOHAN-

IS F. PAPPVS ARGENS
toratensis.

*Ad diem 18. Septemb. horis locog.
solitis.*

I E N Æ

YPIS TOBIÆ STEINMANNI.

ANNO MD XCVI.

